

28 Henrici filium. Isti Geuleri plurimis in locis Calendarij nostrae domus albo pro perpetuis anniversarijs inscripti videntur. Porro quod silentio involvendum non est V. P. D. Joannes Prior Moguntinus et visitator provinciae Rheni Commissarius Ordinis sub eadem Commissione diem clausit extremum, et sepultus ante sedem P. Prioris in choro Monachrum: cuius manibus et omnium fidelium Deus propitiatur in regione vivorum. amen.

Haec sunt fere, quae ex antiquis quadripartitis Chronicis sparsim de primis initijs, atque, ut ita dicam cunabulis et incrementis domus nostrae scriptis tradita eruere potui. Quare iis in quantum licuit in ordinem redactis ad seriem quandam temporum, quod superest stylum ac studium convertam nunc ad ea quae sequuntur. Quo autem id facilius commodiusque praestem, et singula quaeque Patrum acta scriptis consignem certos quosque statuo ordines, in quorum primo quidem comprehendam ac recensabo legitimam Priorum domus huius successionem, tempus institutionis, ac deinde breviter quoad fieri potest, servato ordine temporum annexam etiam, quae sub cuiuslibet regimine specialiter gesta referuntur. In secundo autem ordine omnes quotquot ab initio usque in praesens fuere domus huius nostrae professi Patres et F. F. ad numeratis etiam hospitibus officialibus ordine professionis cuiusque servato: alios vero alteri et speciali reservabo ordini, ita ut pro diversitate personarum Ordinis, diversis etiam easdem consignem et complectar ordinibus, in quibus eadem dispositio servetur.

Ordo